

definitivam circa illam darent sententiam, sed ut aliis occasionem disputationis darent. Mallem enim in hac parte aliorum Catholicorum audire sententiam, quam prodere meam. Ne tamen illam omnino intactam relinquam, dicam quod sentio, paratus tamen contradictori credere si mihi rationem urgentem ostenderit, quæ merito à sententia mea discedere me cogat. Duplicem habet Eucharistia considerationem, videlicet secundum rationem sacrificii, & secundum rationem sacramenti: quia illa secundum Catholicam fidem, & sacramentum est, & sacrificium. Si solum consideretur Eucharistia quatenus est sacrificium, videtur mihi Sacerdotem illum nullam gratiam hac ratione consecutum esse, ex opere, ut dici solet, operato: quia Sacerdos ille neque manducavit Eucharistiam, nec obtulit illam. At sola consecratio sine oblatione & manducatione, sacrificium dici non debet. Si vero consideremus Eucharistiam, quatenus est sacramentum, neque secundum hanc rationem, ut mihi tunc videtur, Sacerdos ille ex opere operato consecutus est gratiam, quia licet consecit Eucharistiam, non tamen suscepit. At communique est omnibus sacramentis, ut non nisi suscipienti conferant gratiam. Non enim dixit Christus, Qui crediderit & baptizaverit, salvus erit: sed tantum dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. (Mat. ult.) Nam est Eucharistia sacramentum hoc habet peculiare, quod substantia illius potest esse sine susceptione illius, quod nulli alii sacramento convenit: tamen hoc non est peculiare illi, ut non suscipienti illud possit gratiam aliquam conferre. Hæc per occasionem dixi, præter instituti mei rationem: decreveram enim in hoc opere solum fidem Catholicam, & non hominum placita asserere.

Absoluta argumentatione ex duabus præcipuis veteris testamenti figuris, nunc ex aliis duabus prophetiis ejusdem testamenti contra prædictam hæresim argumentabor. In Daniele Propheta cap. 12. ubi agitur de adventu Antichristi, hæc habentur. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit, ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud, & in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de iis qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Hæc in Daniele. Quæ verba cum Daniel audisset ab Angelo Gabriele, qui apparuerat illi, dixit interrogando ipsum Gabrielem: Usquequo finis horum mirabilium? Cui respondit Gabriel & jurans per viventem in æternum, dixit duraturam esse tribulationem illam per tempus & tempora & dimidium temporis, hoc est, per tres annos & dimidium. Et postea declarans à quo tempore debeant computari ista tres anni cum dimidio, ait: Et à tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Ecce historiam totam, quam sic integram citare oportuit, quia ex verbis illius, nostræ argumentationis robur clarius patebit. Ex quibus omnibus verbis id potissimum annotare oportet, quod in sine dictum est: A tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. In quibus verbis Missæ celebratio aperte, ut statim Deo duce ostendemus, dicitur sacrificium. Nam per illa verba, Gabriel Angelus docuit Danielem Prophetam, cessaturam tempore Antichristi Missæ celebrationem. Quia mali Sacerdotes timore persecutionis Antichristi, petentur non audebunt publice Mis-

as celebrare. Boni vero Sacerdotes, etsi non timore perterriti, dimittent tamen per tres annos & dimidium, ne tam excellens sacramentum habeatur in contemptum, & indigne & irreverenter tractetur. Et tunc abominatio ponetur in desolationem: quia Antichristus ipse sedebit in templo, ut ab hominibus adoretur. Ut autem nostra argumentatio majores vires habeat, oportebit offendere nullum aliud esse sacrificium, de quo prædicta prophetia verba possint intelligi, nisi Missam. Quo probato, inde aperte convinceretur Missam esse sacrificium. Ad hoc autem apertius faciendum, oportet hoc primum jacere fundamentum, quod prophetia illa non loquitur de iuge sacrificio legis Mosaicæ, quod cessare debebat tempore Messie: quia de illo jam antea fuerat locutus capite nono.

Quæ autem illic dicuntur de illa cessatione sacrificii, contraria sunt his quæ nunc citata sunt ex capite duodecimo ejusdem Danielis. Nam quæ illic dicuntur, hæc sunt. *Confermabit autem pactum multis hebdomada una & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* In quibus verbis aperte docet, cessationem illam Judæi sacrificii fore perpetuam. At ista de qua nunc inquirimus, ut ipsam prophetiam referat, non erit perpetua: sed per dies mille ducentos nonaginta, hoc est per tres annos cum dimidio. Neque est ista prophetia intelligenda, prout delirans Porphyrius dixit, de persecutione facta ab Antiocho Epiphane rege Syriæ, quo tempore cessavit in Judæa sacrificium Mosaicum. Nam propter hanc interpretationem acriter reprehendit Porphyrium Hieronymus in commentariis super Danielem, & post Hieronymum Nicolaus Lyranus. Et merito reprehenditur in hac parte Porphyrius: quia illa sacrificii cessatio, quæ sub Antiocho fuit, quocumque modo computetur, ut bene convincit Lyra, excessit quatuor annos. At istam, de qua modo disputamus, Gabriel prædixit non esse duraturam ultra tres annos cum dimidio: non est ergo impleta hæc prophetia in persecutione sub Antiocho facta. Præterea, de tempore illo prædixit Angelus, quod veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. At tribulatio sub Antiocho non fuit major omnibus præcedentibus: quia illa quæ intulit Nabuchodonosor fuit multo major. Nam destruxit templum, & muros civitatis, duxitque regem & majores omnes illius populi captivos, neque ex inferiori plebe aliquos dimisit, nisi pauculos quosdam pauperes, qui agros colerent. Nihil autem horum fecit Antiochus: superest ergo ut prophetia illa intelligatur complenda tempore Antichristi, prout omnes Doctores Catholici intelligendam esse censuerunt. Nam Hieronymus constantissime affirmat, non posse de alio tempore intelligi. Idem sentit Rupertus Tuitensis. Eodem modo interpretatur Nicolaus Lyranus. His omnibus consentit glossa, quam vocant interlinearem, quæ declarat hæc verba illa: *Veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud,* super hæc ultima verba tempus illud, dicit, Antichristi. Et certe, ut ego cenfeo, non est opus pro hac re citare Doctores, cum Christus ipse veritatis magister id apertissime doceat apud Matthæum cap. 24. ubi citat hunc Danielis locum, dicens: *Cum audieritis abominationem desolationis, qua dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Quod autem Christus de ista, quæ scribitur Danielis 12. loquatur, & non de alia, quæ scribitur Danie-

lis nono, prout aliqui male advenientes docent, aperte convincitur ex aliis verbis, quæ Christus Salvator noster illic dixit, quæ omnino conveniunt cum illis quæ dicta sunt Danielis duodecimo. Nam in illo capitulo hæc dicit Daniel: *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.* Et Christus de tempore Antichristi apud Matthæum loquens, ait: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque postea fiet.* Quæ verba, ut manifeste constat, de nullo alio tempore intelligi possunt, nisi de tempore Antichristi. Deinde, Christus dicit, dies illius magnæ tribulationis esse brevianos propter electos, & his verbis respondent verba Danielis in prædicta visione, quibus dicit, tribulationem illam duraturam per dies mille ducentos nonaginta. Constat ergo ex his omnibus prophetiam illam Danielis, quam citavimus ex capite duodecimo, esse complendam tempore Antichristi. Superest igitur inquirere, quod sit illud iuge sacrificium, quod tempore illo cessaturum est per tres annos cum dimidio. Non est quidem aliud iuge sacrificium corporale simile illis, quæ olim fuerunt in lege Mosaicæ: quia nullum tale est iuge sacrificium in lege Evangelica. Non est sacrificium illud oratio, & laus divina, de qua Propheta Regius ait: (Psal. 49.) *Immola Deo sacrificium laudis.* Neque sacrificium illud est carnis afflictio per jejunia, & flagella, peregrinationes, vigiliis, & alios similes corporis labores, de quibus Paulus ait: (Rom. 13.) *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Sed neque est sacrificium illud contritio peccatorum, aut quævis alia lachryma propter Deum effusa, de qua inquit Propheta: (Psal. 50.) *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* De nullo istorum sacrificiorum, nec de quovis alio simili intelligi potest, quod Danieli Gabriel Angelus dixit, cessaturum tempore Antichristi iuge sacrificium. Quia licet tunc abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, non tamen charitas omnium. Licet multi sequantur Antichristum, & non tamen omnes, immo multi amore Christi accensi viriliter resistunt illi, & ob hanc causam occidentur ab illo, ut prædixit Gabriel Angelus in verbis, quæ locutus est Danieli, sic dicens: *Eligetur, & dealbabitur, & quasi ignis probabuntur multi.* Super quibus verbis glossa interlinearis dicit, multos fideles probandos quasi aurum in fornace. Nam alias oporteret dicere, totam Ecclesiam, quæ Christi est sponsa, tempore illo perituram, si non essent futuri tunc aliqui iusti, qui illam sustentarent. Quamlibet enim malicia abundet, & peccatores augeantur numero, semper Deus custodit, & relinquit sibi aliqua milia virorum, qui nolint curvare genua sua ante Baal. Illi ergo iusti, qui tunc erunt tempore Antichristi, videntes Antichristi persecutionem, serventur. Deum orabunt pro auxilio: & cum majori devotione Deum laudabunt, propterea, quod illos servavit, ne in tantum scelus laberentur, ut Antichristum colerent. Recordati tunc præterea, quibus forte olim Deum offenderant, acerbius ingemiscunt pro illis: & timentes de morte Deum illorum peccatis exasperatis talem induerit tribulationem, corpora sua attingunt, ut vel sic Deum itatum placare possint, prout olim Viri Ninivite fecerunt. (Joan. 3.) Et hoc etiam expressit Gabriel Angelus, sic Danieli dicens: *Et impie agens impiè, neque intelligens omnes impiè.* Ubi glossa interlinearis ait, Non intelligit ad probationem sanctorum hæc fieri. Et postea subdit Angelus: *Porro dicit in eligen.* Super quæ verba glossa interlinearis ait, Iusti, &

electi, docti disciplina Dei, intelligent hæc, & libenter sustinebunt. Ex quibus apertissime convincitur, quod huiusmodi spirituales sacrificia, quæ supra recensuimus, licet à multis deserantur tempore Antichristi, non tamen profus cessabunt. Regnante Achab, pessimo Rege, quando tanta erat malitiæ abundantia, & tanta molitudo horum multitudo, ut Helias putaret se solum esse, qui Deum coleret, dixit Deus eidem Helia, (3. Reg. 19.) *Se reliquisse sibi septem millia virorum, qui non curaverant genua sua ante Baal.* Cum igitur major sit gloria Ecclesiæ, quam synagoga, & Deus majorem curam nunc de Ecclesia sua habeat, quam olim de synagoga, cogimur credere, ut Deus tempore Antichristi, non sit cogit adeo deseratur Ecclesia sua, quin servet sibi in ea plura quam septem millia virorum, qui non curvent genua sua coram Antichristo. Si de nullo istorum sacrificiorum intelligi potest id, quod Gabriel Angelus dixit Danieli, cessaturum iuge sacrificium tempore Antichristi, convincitur inde, esse necessario intelligendum de Missa, quæ quia omni die in honorem Dei celebratur, & in ea verum Christi corpus, & verus sanguis ejus, quotidie Deo offertur, vocatur iuge sacrificium. Et hoc cessabit tempore Antichristi: quia licet tunc Missa aliqua, ut credi par est, celebretur, non tamen ita frequenter, neque tam publice ut ante: & hoc non tam propter metum Antichristi, quam ne tam excellens sacrificium veniat in contemptum, & irrisum majorem. Facient quidem juxta præceptum Salvatoris dicentes: (Matth. 7.) *Nolite sanctum dare canibus, & nolite mittere margaritas ante porcos.* Hoc ergo sacrificium per quod Deus maxime colitur, Antichristus profus tollere nitetur, ut ipse loco Dei colatur, & adoretur. Nam ad omnem verum Deum cultum profus tollendum, nullam meliorem viam invenire poterit Antichristus, quam tollere sacrificium Missæ. Quoniam ut ait Rupertus in libro de glorificatione filii hominis, sublato sacrificio Missæ statim peribit devotio. Et inde convincitur, Lutherum, & omnes qui illum in hæc parte imitantur esse præcursores Antichristi, & illius ministri: quia nituntur ab Ecclesia tollere Missæ sacrificium, prout facturus est postea Antichristus illorum magister. Est altera prophetia Malachia Propheta, quæ etiam aperte convincit Missam esse sacrificium. Nam Malachias, quomodo Deus sit abrogaturus sacrificia legis veteris, & loco istorum aliud se subrogaturus, hæc ait: (cap. 1.) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & manus non suscipiam de manu vestra. Abominem vobis sacrificia vestra, quia in omni loco sacrificatur, & offertur nominis mei oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Recedite a pedibus vestris sacrificia veteris legis, cum ait: Manus non suscipiam de manu vestra.* Et ne omnino sine sacrificio videretur populum relinquere, statim aperit aliud sacrificium loco illius subrogatum multo melius, eum dicit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nominis mei oblatio munda.* Ad nulla alia est oblatio, quæ simpliciter, & absolute dici possit munda, nisi Eucharistia quæ in Missa offertur: quoniam ut ait Propeta quidam, (Ez. 26.) *omnes sacrificia vestra quasi panis mestrucati sunt sicut doram Deo.* Et aliqua est oblatio quæ munda dicatur, si non est à se munda coram Deo, sed ex munditia, & obbitate ipsas offerentis. Repexit Deus (inquit scriptura) (Genes. 4.) ad Abel, & ad mundana vasa. Ad Abel primo, deinde ad mortuos, & ideo respexit ad mundana, quia respexit ad periosam. Oblatio autem illa de qua Propeta Malachias loquitur absolute dicitur munda,

tur. Nam in illo loco Pauli Græce habetur, *clomenon*, quod etiam est participium præsentis temporis, & ideo necessario vertendum erat. per verbum præsentis temporis, & per verbum futuri. Ex verbis ergo trium Evangelistarum, & Pauli, juxta Græcam veritatem, aperte convincitur Christum in illa benedictissima cœna, obtulisse pro nobis Deo patri corpus, & sanguinem suum: quoniam tunc dicit ille se corpus suum tradere, & sanguinem suum fundere; quod vere dici non posset, nisi quia tunc corpus suum ad passionem, postea tolerandam, & sanguinem ad effusionem, postea faciendam obtulit. Et propter hæc, quam Christus tunc fecit, ipsi corporis, & sanguinis oblationem, quotiescumque manducamus panem illum sanctissimum, & bibimus calicem Domini, ut Paulus ait, mortem Domini annuntiamus donec ille ad iudicium veniat. Nam quomodo illa facimus, in suam commemorationem, ut Christus ipse præcepit, facimus. Non autem esset ibi mortis Christi commemoratio, nisi ille in sua benedictissima cœna corpus, & sanguinem suum Deo patri aliquo modo obtulisset. Obtulit ergo in sua benedicta cœna sacratissimum corpus, & sanguinem suum aliter tamen, quam in cruce. Nam in cruce obtulit Deo corpus suum visibile, & palpabile; in cœna vero obtulit corpus suum, in forma mihi ab hominibus invisibile, sed latens sub accidentibus panis, & vini. In cruce obtulit corpus suum palpabile, & visibile; in cœna autem obtulit illud sub forma in qua nec patitur, nec palpari potuit.

Præterea, ex ipso ritu, & ordine Sacerdotii secundum quem Christus Salvator noster fuit sacerdos, convincitur illum in cœna obtulisse Deo patri corpus, & sanguinem suum. Nam ille, ut utrumque testamentum docet, fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. At ritus, & ordo Sacerdotii Melchisedech, ut jam supra per apertissima testimonia probavimus, fuit oblatio panis, & vini: ergo, ut Christus vere dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, oportet illum similem oblationem fecisse, videlicet corpus suum sub accidentibus panis, & sanguinem sub accidentibus vini. In cruce autem pendens, non obtulit corpus suum, sub hujusmodi accidentibus operum; sed nudum, & omnibus conspicuum, flagellatum, suo sanguine aspersum, multis vulneribus sauciatum. Si Christus in cruce non fuit Sacerdos secundum ritum, & ordinem Melchisedech, quia ipse non fuit aliqua hostiæ similitudo, oportet necessario fateri, illum in sacratissima cœna tale exercuisse Sacerdotium juxta ordinem Melchisedech. Nam illic Christus similem habuit hostiam, videlicet corpus suum sub accidentibus panis, & sanguinem suum, sub accidentibus vini. Si tunc Christus vere egit Sacerdos, & vere sacrificavit, & hostiam obtulit: ergo Sacerdotes Evangelici, qui secundum ordinem à Christo institutum, & ab eodem inchoatum sunt Sacerdotes, eodem modo sacrificant, & eandem, quam Christus offerunt Deo hostiam: presertim cum ex præcepto Christi, & potestate ad hoc, ab eodem Christo illis data, idem faciant, quod ipsemet Christus fecit.

Accedit ad hæc, multorum sanctorum virorum, qui doctrina perinde, ac sanctitate claruerunt, concors testimonium, quo omnes illi concorditer testantur, Christum in ultima cœna corpus suum pro nobis Deo obtulisse. Et primum omnium tamquam veneratorum novissimum profero Rupertum Tuicensem, qui in commentariis super Exodum, declarat ritus, & ceremonias agni paschalis, quomodo figuraverit ea quæ corpori Christi adsunt, tam-

dem accedens ad illam agni immolationem, de qua superior locuti sumus, hæc ait. Tandem quarta decima die ad vesperam, ubi illum paschæ, veteris agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse novi sacrificii agnus continuo capiendus, & deducendus ad immolandum; jamjam in angustia passionis agonizans, prius propriis manibus Deo patri semetipsum, immolavit, accipiens panem, & vinum, & mira atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corpus, & sanguinis sui sacramentum. Nam quod deinde manibus peccatorum crucifixus, & mortuus est idem agnus, præteritorum, atque præsentium salus omnium contempit, fuit, & ad illos qui in inferiori Ægypto, id est, in infernalibus detinebantur tenetibus, descendit, quibusque per quinque retroactas mundi ætates, ibidem fuerant collecti. Unde, & constat, recte quinque diebus, à decima scilicet usque ad quartam decimam mensis agnum servari, quia videlicet ex quo in typum ejusdem filii Dei, primus Abelægnus obtulit, quiaque fluxerunt ætates, mundi, quæ in fine immolatus erat hic verus agnus Dei. Et aliquibus interpositis subdit. Quod vero manibus suis, ut jam dictum est, corpus, & sanguinem suum sub specie panis, ipse Summus Pontifex obtulit, & hoc facite in meam commemorationem, dixit, eorum salus est, qui in ista vita detinentur, quibus Ægyptus hic mundus est, quibus vera captivitas sub diabolo mundi principe, ignorantia Dei est. Hactenus Rupertus, qui est novissimus sit eorum, quos nunc citaturus sum, tamen ante quadringentos, & quinquaginta annos floruit: & tam aperte dicit Christum in ultima cœna suum corpus Deo obtulisse, ut nihil apertius desiderari possit. Ante hunc per aliquot sæcula fuit Beda, qui in Commentariis super Marcum, interpretans illa verba: *Et manducantibus illis accepit Jesus panem*, hæc ait: *Ritus paschæ veteris solemnissimus, quæ in commemorationem, antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum, quod in sua redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat: ut videlicet pro carne agni, ac sanguine, sui corporis sanguinisque Sacramentum substitueret, ipsumque se esse monstraret, cui juravit Dominus, & non periret eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Hæc Beda. In cujus verbis hoc annotare oportet, quod dixit, Christum in ultima cœna exercuisse Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod non aliter tunc fecit, nisi tunc suum corpus, & sanguinem offerendo. Multo apertius docet hoc Hieronymus, qui in Commentariis super Psalmos interpretans, illud ex Psalmo 109: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, hæc ait: *Quomodo enim Melchisedech Rex Salem obtulit panem, & vinum: sic & tu offeres corpus tuum, & sanguinem, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedech, ista mysteria quæ habemus dedit nobis. Ipse est qui dixit: (Joann. 6.) Qui manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, &c. Secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis Sacramentum suum. Hæc Hieronymus, qui nihil apertius pro nostra sententia dicere potuit. Ambrosius in Missa de cœna Domini, in oratione præstationis, hæc ait: *Aut quid sperare de tua misericordia possumus, qui tantum manus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, qui se pro mundi redemptione pro nobis, & venerandæ tradidit passioni: qui formam sacrificii salutis perennis instituens hostiam**

tiam se prius obtulit, & primus docuit offerri. Hæc Ambrosius. In quibus verbis duo simul asserit, per quæ tota hæc præfens absolvitur disputatio. Nam dicit Christum in illa sacratissima cœna se hostiam obtulisse, & docuisse nos, ut eandem hostiam offereremus. Ante Ambrosium fuit Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui libro primo demonstrationis Evangelicæ, capite decimo, demonstrans quomodo sacrificia legis veteris cessaverint, & loco illorum ritualium in lege Evangelica substitutum, hæc ait: *Itaque post omnia, quasi mirabilem quandam victimam, sacrificiumque exitium patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit: ejusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituit.* Hæc Eusebius. In quibus verbis, quamvis illa sint pauca, multa tamen complectitur, quæ nostræ, & Catholicæ doctrinæ favent. Dicit enim primo Christum se Deo patri obtulisse: Dicit secundo, nos in memoriam illius idem sacrificium offerre. Dicit tertio, hoc sacrificium quod nos offerimus, esse ex Christi institutione, & non ex humano arbitrio, aut ex passiva inventione, ut hæretici mendacissima blasphemiam, quotidie dicere solent. Ex istis tribus, quæ dixi Eusebium asseruisse, duo ultima adeo aperte dicit, ut nullus merito de illis dubitare possit. De primo forsitan aliquis contendat, & dicat Eusebium illic locutum fuisse de sacrificio facti in cruce, ubi semetipsum obtulit Deo. Ut autem aperte constet illum fuisse locutum de sacrificio facti in cœna, & non in cruce, oportet inspicere verba quæ ille, sine ulla aliis mediis continuo subjungit, sic dicens: *Hoc etiam Prophetarum præcipit David, qui quod futurum erat spiritu divino præviderat, vaticinatus est, ubi ait: (Psal. 39.) Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & exaudivit preces meas, & sustulit me de lacu miserie, & de luto fecit. Et statuit supra petram pedes meos, & dirigit gressus meos. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Quod porro sit hoc canticum novum, declarat deinceps, ubi ait. *Sacrificium, & oblationem noluit, corpus autem percussit mihi: Holocausta, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem Deus voluntatem tuam, & volui: & adjungit. Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Sic plane docens pro antiquis sacrificiis, & holocaustis Christi adventum, per assumptionem humani corporis, ejusque corpus perfectum Deo obtulit esse, ipsumque hoc Ecclesiæ suæ nuntiarum gaudium, tamquam ingens mysterium, quod prophetica voce, ce in capite libri propositum expressumque sit. Quomodo ergo hujus sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisque item illius, salutaris, quæ sanguinis, ut novi testamenti institutum habet, accepimus, rursum à Propheta David instruitur ad dicendum: (Psal. 22.) *Parasti in conspectu meo mensam contra eos qui assurgunt me. Pingue fecisti in oleo carnis meam, & calix tuus inebrians, quam præstantissimus, Palam igitur in his mysticam significat unctionem, & odorem afferentia mensæ Christi sacrificia, quibus operantes, incrementas, & rationales, & eique suaves victimas, in tota vita supremo Deo offerre, per eminentissimum omnium ipsius Pontificem edocti sumus. Hactenus Eusebius Cæsariensis ante mille & ducentos annos. Ex quibus verbis aperte constat illam de sacrificio in cœna Domini facti fuisse locutum, & nos in memoria illius cœnæ incrementas victimas Deo offerre: & hoc dicit nos facere ex doctrina supremi omnium Pontificis, videli-*

cet Jesu Christi Salvatoris nostri. Eusebius Cæsariensis præcessit plusquam uno integro sæculo Cyprianus Carthagenensis Episcopus, & Martyr, qui epistola 3. libri secundii, quæ est ad Cecilium, declarat illud ex Psalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, hæc ait: *Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem.* Hæc Cyprianus Martyr ante mille & trecentos annos. Ecce septem illustres viros sanctitate perinde, ac doctrina clarissimos, qui omnes concorditer asserunt, Christum in ultima cœna obtulisse Deo patri corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini. Neque hoc ex suo tantum arbitrio, ut hæreticorum mos est, sed testimonio sacræ scripturæ persuasi, asserunt. Si Christus in illa sacratissima cœna corpus suum, & sanguinem Deo patri obtulit: ergo Sacerdotes Evangelici idem corpus, & eundem sanguinem Deo patri offerant: quia ipse dixit illis. *Hæc facite in meam commemorationem.* Nam illis verbis, ut omnes sacri Doctores interpretantur, præcepit Sacerdotibus, ut facerent idem, quod ille fecerat. Christus autem, ut probavimus, obtulit in ultima cœna: ergo Sacerdotes tenentur offerre in Missa, quæ est quedam illius cœnæ commemoratio. Missa ergo est sacrificium. Denique hæc nostra, & catholica sententia probatur multorum Conciliorum definitionibus, in quibus omnibus Missa dicitur esse sacrificium. Nam Concilium Toletanum primum, capite quinto, nomine sacrificii Missam appellat. Idem facit Concilium Toletanum: dicitur illa fuisse Provincialia, & ideo errare potuisse. Fateor Concilia illa fuisse Provincialia; nec ideo illorum sententiam contemnenda est: quia per alia generalia est confirmata. Nam Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, capite primo suorum decretorum, hæc ait: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cujus corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina, ut ad perficiendam mysterium unitatis, acciperemus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro. Hæc Concilium Lateranense, quæ enuntiat in volumine decretalium, in capite Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Ante hoc Concilium per multa sæcula præcessit sexta generalis Synodus, quæ capite 32. suorum decretorum declarat vinum aqua mixtum esse necessarium in Missa offerendum, hæc ait: *Quoniam novimus in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerri, aquam illi non miscentes, quum incrementum sacrificium peragunt, prætexentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysostomum in interpretatione Matthei, hoc asserentem: ut jam nunc ab ignorantia liberentur, illius patris mentem orthodoxe aperimus. Cum enim antiquam Hydroparatarum hæresim, qui pro vino sola aqua in sacrificio usi sunt, subverterent, illam orationem composuit, in qua aquæ in sacrificio Missæ adjunctionem amovere illi existimant: cum tamen non doceat Sanctus per solum**

da, nulla expressa persona à qua suam caperet munditiam. Ex quo colligitur, quod sit ex se munda, est ergo illa Eucharistia. Quod si dicas intelligi de illa oblatione, qua Christus seipsum in cruce pro nobis omnibus, semel Deo patri obtulit, obstat id quod ait Dominus, dicens quod talis oblatio offertur in omni loco. At illa unica oblatio in cruce facta à Christo, in sola Judæa facta est, & non in omni loco. Non ergo loquitur Propheta de illa. Nec etiam talis oblatio munda de qua Dominus per Prophetam loquitur, est oratio, aut elemosyna, jejunium, aut aliqua alia similis. Nam si de hujusmodi oblationibus loquamur, non una in omni loco, & ab omnibus offertur, sed diversæ sunt orationes, distinctæ elemosynæ juxta diversitatem personarum eas offerentium. Et hujusmodi oblationes etiam in lege veteri offerebantur Deo. Ista autem de qua Dominus per Prophetam loquitur, non fuit in veteri lege, quoniam dicit, eam subrogandam loco aliorum sacrificiorum, quæ reprobanda erant. Oblatio ergo quæ ex se sit munda, sine ullo personæ offerentis respectu, & quæ in omni loco una, & eadem ab omnibus offeratur, nulla reperiri potest nisi Eucharistia, quæ quotidie à tota Ecclesia per universoni mundum dispersa, in Missa Deo offertur. Ergo Missa in qua talis oblatio offertur, est sacrificium. Sed quia prædicta Malachia verba Lutherani, ut semper alias facere solent, in alienum sensum detorquent, dicentes, illa non de oblatione Eucharistia, sed de aliis spiritualibus sacrificiis esse intelligenda, ultra rationes quibus probavi non esse ita, ut illi dicunt, intelligenda, volo in testimonium prædictæ nostræ interpretationis proferre sacros aliquos vetustos Doctores, qui omnes concorditer interpretantur illa verba Malachia de Eucharistia oblatione, quæ fit in sacrificio Missæ. Haymo istorum novissimus, sed ante septingentos annos natus, in Commentariis super Malachiam prædicta verba interpretans, ait: Manifestissima est propheta, nec eget profundiori expositione: loquitur autem ad Sacerdotes proprie, qui illicitas victimas offerebant, atque ideo voluntas Dei, quem exacerbatant, non erat in eis: simul etiam docet carnalibus illorum victimis, spirituales victimas successuras, nec in una tantum provincia Judæorum, sed omni loco offerri Deo mundam oblationem, hoc est, sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia. Hæc Haymo, qui etsi non expresso nomine Eucharistiam declarat, verba tamen illius aperte indicant de illa fuisse loquutum. Nam dicit oblationem illam, de qua loquutus est Malachias, (cap. 1.) esse sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia. At sacrificium ab Ecclesia frequentatum, nulum aliud est nisi sacrificium Missæ, quæ quotidie in Ecclesia celebratur. Sed multo apertius verba Malachia de sacrificio Missæ interpretatur. Damascenus, qui libro 4. de fide orthodoxa, capite 14. de sanctissima Eucharistia loquens, & ostendens illam in multis locis veteris testamenti fuisse figuratam, & à Prophetis prædictam, hæc ait: „Pane, & vino suscepti Melchisedech Abraham excedi alienigenarum reverentem, qui erat Sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hæc mysticam præfiguravit mensam, velut & Sacerdos ille Christi veri Sacerdotis figuram pre se ferebat, & imaginem. Tuus (inquit) Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hunc panes figurabant propositionis. Hæc est pura scilicet hostia, & inœruentia, quam ab ortu, usque ad occum ipsi offerri per Prophetam Dominus loquitur: corpus videlicet, & sanguis Christi, in stabilitum animæ nostræ, & corporis, inconsumptum, & incor-

ruptum non in secessum iens (absit enim) sed in nostram substantiam, & conservationem, omnimodi nocuenti reparatio, fordis omnis purgatio. Si quidem aurum offendat adulteratum, per judicalem correptionemque ignitionem purgat, ut non in futuro, cum mundo condemnemur. Hæc Damascenus, qui satis aperte nostræ Catholicæ sententiæ favet. Eusebius Cæsariensis libro primo demonstrationis Evangelicæ, capite decimo, docens sacrificia veteris legis cessasse, & alia loco illorum in lege Evangelica esse subrogata, inter alia hæc ait. Hæc igitur omnia, quæ ab initio divinitus prædicta sunt, in præsentem tempore, per Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam ab omnibus gentibus celebrantur, propheticae voci testimonium afferente veritate, per quam vocem Deus Moisaicis rejectis sacrificiis, quod futurum erat nostrum ipsorum institutum, divinitus nuntiat, dicens: Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia munda. Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificium Deo plenum, & odorem afferens, & sanctum sacrificium, sacrificamus novo more, secundum novum testamentum, hostiam mundam. At sacrificium Deo, spiritus contritus dictus est, cor igitur contritum, & humiliatum Deus non despiciet, jamque etiam incendimus propheticaum illum odorem in omni loco, & offerimus ei benevolentem fructum omni virtute abundantis Theologiae, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes: Quod sane ipsum alius quoque docet Propheta, qui ait: (Psalm. 140.) Fiat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Igitur, & sacrificamus, & incendimus alias quædam muneriam magni illius sacrificii secundum ea, quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes; & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososque hymnos, & orationes sanctas illi offerentes, alias nos ipsos totos ei consecrantes, ejusque Pontifici, ipsi utique verbo, corpore, animoque dicantes. Hæc Eusebius Cæsariensis, qui etsi multas oblationes dicit intelligi per oblationem illam mundam, quam prædixit Malachias, inter illas tamen recenset oblationem illam, quæ fit in memoriam illius magni sacrificii, quod videlicet Christus, pro nobis obtulit in cruce. Et in verbis Eusebii est illud potissimum annotandum, quod dixit celebrationem illius oblationis esse secundum mysteria tradita à Christo. Ex quibus verbis constat Missæ celebrationem, non esse papisticam, ut Lutherani injuriose illam nominant: sed ab ipso Christo institutam. Ante hos omnes fuit Justinus Philosophus martyrio, & doctrina clarissimus, in dialogo cum Triphone adversus Judæos disputans, eadem Malachias verba de sacrificio Eucharistia interpretatur, sic dicens: Verba ipse ait: „In omni loco in gentibus hostias acceptas gratasque immolari. Neque verò quoquam hostias Deus accipit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia sacrificia, quæ suo nomine faciendæ Jesus Christus tradidit, in Eucharistia panis, & poculi, quæ in omni loco Christianis sunt, præceptione usus Deus sibi gratas esse testatur. Quæ autem vobis vestrique illis Sacerdotibus sunt, improbat his verbis. (Eps. 14.) Sacrificia vestra è manibus vestris non accipiam; quod ab oriente sole ad occidentem, nomen meum gloria affectum est, ait, in gentibus: vos autem, illud detestamini. Hæc Justinus Martyr. In quibus verbis testimonio Malachia: Prophetæ asserit Eucharistiam panis, & vini esse sacrificium Deo gratum, illudque à Christo esse traditum. Sed audiamus Irenæum Apostolis vicinum, qui

qui libro quarto adversus hæreses, capite 32. loquens de cessatione veterum sacrificiorum, hæc ait: Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia, & holocaustomata quærebant ab eis Deus, sed fidem, & obedientiam, & justitiam, propter illorum salutem. Sic in Osea Propheta, (cap. 6.) docens Deus suam voluntatem dicebat: Misericordiam volo, plus quam sacrificium, agnitionem Dei super holocaustomata, sed & Dominus noster eadem monebat eos, dicens: Si enim cognovissetis, quid est misericordiam volo, plus quam sacrificium, nunquam condemnaretis immerentes: testimonium quidem reddens Prophetis, quoniam veritatem prædicabant, illos autem arguens ita culpa insipientes. Sed & suis discipulis dans constitum, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indignis, sed ut ipsi, nec instructi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accipit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem, confusus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim Prophetis, Malachias sic præsignificavit. (cap. 1.) Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens, manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum: nomen autem ejus glorificatur in gentibus. Hæc Irenæus Martyr, Polycarpi discipulus. Audiant Lutherani, & diligenter circumspectantur istorum virorum testimonia, & intelligant non esse novam, aut recentem doctrinam, qua docetur Missam esse verum sacrificium, sed ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Catholica receptam. Neque hæc doctrinam ex suo tantum arbitrio, prout hæretici faciunt, nobis isti sancti tradiderunt: sed illam ab ipsa sacra scriptura hausserunt, cujus interpretationem legitimam, & sensum germanum ab illis potius, quam hæreticis, accipere oportet. Et in hunc potissimum finem illorum testimonia citavi, ut ex illis constet, quis sit verus, & germanus sacra scripturæ sensus, & tandem ex ipsa scriptura aperte convincere, Missam esse sacrificium. Obmutescant ergo impudentes, & mendacissimi hæretici, qui non videntur nobis improperare, quod solis recentium Theologorum placitis, & non verbo Domini, de quo ipsi mendacissime, & arrogantissime se jactant, nostram confirmamus Catholicam doctrinam. Possent pro hæc re plura adhuc ex veteri testamento citare testimonia: sed illa non tam aperte hæc catholicam sententiam offendunt, propterea quod illorum sensus non est tam manifestus, neque ex sententiis sanctorum patrum potest ita facile colligi, sicut in aliis ejusdem testamenti testimoniis quæ hæcenus citavi: & ideo illa omittere crevi, ne forte, si non tam aperte per illa testimonia nostram sententiam probarem, occasionem deridendi hæreticis præstarem, qui ex omni parte occasiones quarunt, ut Catholicos viros populo deridendis exponere possint.

Accedamus ergo ad novum testamentum, in quo verum omnium multo major est claritas, quam in veteri. Si opera & verba quæ Christus noster summus Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, in illa sua sanctissima cæna fecit, & dixit, diligenter considerentur, inde apertissime convincetur, Missam esse sacrificium. Ut autem hæc omnia apertiora faciam, verba Lucæ Evangelistæ (cap. 22.) citare oportet, quibus ille Dominicam cenam describit, sic dicens: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. In his verbis manifeste declarat Lucas, quid fecerit Christus, & quid dixerit. In illis quæ dixit, præcepit Apostolis, & omnibus futuris Sacerdotibus, ut facerent in sui commemorationem, id quod ille fecerat. Et quia de hoc nullam scio esse controversiam, ideo nolui circa hujus rei probationem immorari, præsertim cum beatus Cyprianus in illa epistola ad Cecilium supra citata, hoc manifeste doceat, & pro indubitato relinquat. Si igitur probaverim Christum Redemptorem nostrum, non solum in cruce, sed etiam in sacratissima cæna corpus suum pro nobis omnibus Deo patri obtulisse: plene probatum erit, Sacerdotes Evangelicos, quum in Missa Eucharistiam consecrant, esse obligatos ad offerendum Deo illud idem corpus Christi, quod consecrarunt: quia Christus præcepit illis, ut in suam commemorationem facerent, quod ipse fecit. Hoc enim potissimum argumento beatus Cyprianus in illa prædicta epistola probat in sacris mysteriis esse necessarium miscendam aquam cum vino: quia Dominus ita fecit, & postea præcepit Sacerdotibus, ut facerent, quod ipse fecit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Quod autem Christus summus Sacerdos noster corpus suum in illa benedictissima cæna pro nobis Deo patri obtulerit, aperte constat ex sacris literis, & multorum Sanctorum testimoniis. Primo quidem illud est manifestum, quod Christus Salvator noster apud Lucam ait: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod non dixit verbo futuri temporis, dabitur, sed verbo præsentis temporis dixit, datur: ut hæc tam aperta locutione offenderet, non solum postea in cruce, sed etiam tunc corpus suum sub specie panis pro nobis Deo patri offerre. Et eodem modo locutus est de calice sic, juxta Græci sermonis veritatem, dicens: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Nam etsi in vulgata & antiqua novi testamenti translatione habeatur, in verbo futuri temporis, fundetur: Græce tamen in præsentem est, & non in futuro. Nam Græca vox illi verbo respondens, est *ecceinomenon*, quæ est participium præsentis temporis, & non futuri. Et hoc idem participium positum est apud Mattheum, & Marcum, ubi uterque de administratione calicis loquitur. Propter quod non possum non mirari, quare interpres antiquæ translationis, in omnibus tribus Evangelicis veterit verbo futuri temporis, effunderetur, cum in omnibus tribus Evangelicis habeatur Græce illud prædictum participium, quod constat esse temporis præsentis. Forte ille transtulit in præsentem, & postea idioræ scriptores rem non intelligentes, putarunt se emendare litteram, & illam corruerunt, mutantes tempus præsens in futurum. Erasmus Roterodamus vir Græce doctissimus in sua translatione novi testamenti, in omnibus tribus Evangelicis posuit in præsentem, effunditur. Et in priore epistola ad Corinthios, ubi in antiqua translatione habeatur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Erasmus transulit non per verbum futuri temporis, sed per verbum præsentis, sic dicens: Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangi-

vinum oblationem offerri, quandoquidem & suae Ecclesiae, ubi est illi pastoris administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet ex pratico, & honorando nostri Redemptoris sanguine, & aquae contemperationem attendens, quae in totius mundi vivificationem effusa est, ad peccatorum remissionem. Haec tunc sexta synodus. In quibus verbis saepe Missam dicit esse sacrificium: & non qualecumque, sed tale in quo verus Christi sanguis offertur. Per multa etiam saecula ante hanc sextam synodum celebratum fuit Concilium Ephesinum, quod in epistola ab eo ad Nestorium missa, haec ait: Annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, incruentam celebramus in Ecclesia sacrificii servitatem. Haec Concilium Ephesinum. In quibus verbis aperte asserit Missam esse sacrificium: quia ex verbis, quae continuo post subiungit, constat illud loqui de Missae celebratione.

Nihil jam mihi superesse video ad plene manifestandam, comprobandamque Catholicam veritatem de sacrificio Missae, nisi solum respondere objectionibus haereticorum, quibus illi probare conantur, Missam non esse sacrificium. Primo quidem nobis objicit Lutherus Christi exemplum, quod necessario imitandum esse ait, sic dicens: Missa est quaedam commemoratio cenae dominicae, in qua Christus cum Apostolis suis morti proximus ultimo coenavit. At Christus tunc coenans non sacrificavit, nec tunc corpus, & sanguinem suum obtulit, sed postea moriens in cruce. Sacerdos igitur in Missa non sacrificat, neque offert Deo corpus, & sanguinem Christi. Collectionem istam, siue consequentiam inde probare nititur Lutherus, quia debemus, ut ille ait, in hoc mysterio opera Christi ejus mysterium imitari. Nam ille dixit in cena: (Joannes 13.) *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Haec Lutheri argumentatio nullius proferri est roboris, quia falsum assumit, & male colligit. Primo quidem falsum est, Missam esse solius cenae dominicae commemorationem. Nam et si verum sit, Missam esse quandam representationem cenae dominicae, non tamen solius cenae, sed etiam mortis, & passionis Christi, Paulo hoc attestante, qui in priora ad Corinthios epistola, (cap. 11.) ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Cum igitur Christus moriens seipsum sacrificaverit, & obtulerit Deo patri in cruce, jure possunt Sacerdotes in Missa, quae est quaedam passiois Christi representatio, Christi corpus sacrificare, & Deo patri offerre. Falsum etiam est, Christum in illa sanctissima cena non obtulisse Deo patri corpus, & sanguinem suum. Nos enim superius ex ipsis Christi verbis, & multorum Sanctorum testimoniis probavimus, Christum in illa ultima cena obtulisse Deo patri hostiam incruentam, corpus videlicet, & sanguinem suum. Nam nisi tunc illum haec obtulisse dicamus, numquam inveniri poterit, quando Christus Sacerdotis officium fecerit secundum ordinem Melchisedech. Non enim hoc fecit in cruce, quia tunc, ut supra diximus, obtulit corpus suum aperte omnibus conspicuum, & non sub speciebus panis, & vini latitans. At Christus, ut Ecclesia de illo canit, Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem, & vinum obtulit.

Hoc autem cum numquam nisi in cena Christum fecisse constat, convincitur Christum in cena ultima corpus, & sanguinem suum Deo patri obtulisse. Bis itaque

corpus, & sanguinem suum pro nobis contulit Deo patri primo quando coenavit, & secundo quando afflixus est cruci. Mala enim est Lutheranae argumentationis consequentia: quia & si vellemus gratis dare Lutheri, Christum in illa ultima cena non obtulisse Deo patri corpus, & sanguinem suum, non inde sequeretur necessarium, Sacerdotes Evangelicos minime corpus, & sanguinem Christi in Missa offerre. Non est enim necessarium, ut quicquid Christus in cena tunc fecit, Sacerdotes nunc in Missa faciant: & quae ille tunc non fecit, neque Sacerdotes nunc facere audeant. Nam juxta hanc regulam non liceret Sacerdotibus ornamentis sacris indutos, & in vase argenteo, aut aureo celebrare, quia Christus in illa sua sanctissima cena nihil horum habuit. Oporteret etiam Sacerdotes coenantes celebrare, & non nisi jam coenatis corpus Domini tradere ad manducandum, quia Christum ita fecisse, Evangelia docent. Catholica tamen Ecclesia per totum orbem diffusa, & a Spiritu Sancto edocta omnia his contraria facere docet, & praecipit. Multa enim ut recte Hieronymus ait, Domino competunt, quae servulo non conveniunt, ac proinde non licent. Si omnia in Missa, ut Lutherus ait, essent ad Christi imitationem facienda, cur ille Missam coram pluribus, aut paucioribus, quam duodecim celebrare, apud suos permittit, cum Christus coram solis duodecim mysticam cenam consecraverit? Cur una Missa finita aliam in alio die dici permittit, cum Christus non nisi semel illam cenam sacratissimam celebraverit? Cur Missam celebrans Lutherus, non continuo se disponit, & praeparat, ut peracta Missa, sequestratus a suis oret, & inde transeat ad mortem crucis, quemadmodum Christus fecit? Sed Lutherus ubi opus erat imitari Christum, ibi longissime distat ab illo: & ubi non est, necesse, neque licet imitari Christum, ibi contendit, ut omnes illum imitentur. Quod ad suae sententiae probationem citat Lutherus: *Exemplum dedi vobis: ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis:* nihil proferri illi suffragatur. Quia verba illa non dixit Christus sedens in cena, quando corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini discipulis suis dedit: sed quando, ut ex Joannis Evangelio aperte constat, pedes discipulorum lavit. Tunc enim praecipit illis, ut ex illo quod ipsum fecisse viderent, humilitatis exemplum caperent ad lavandum alter alterius pedes. Quod ergo Christus de sola pedum lotionem dixerat, Lutherus ad omnia Christi opera extendere conatur. Ecce qualia sunt Lutheri argumenta, in quibus nihil verum, immo nec vero simile proferit, sed meras nugae, & sacrae scripturae torsiones, per quas populum rudem, & literarum profusus ignarum haecenus fessellit, & ad sua impia dogmata traxit.

Secundo argumentantur Lutherani, quod dicentes Missam esse sacrificium, Christum spoliari illo magno honore Sacerdotis aeterni. Ut autem hujus argumenti robur magis omnibus pateat, verba Joannis Calvini, qui capite 18. suae institutionis Christianae §. 50. suscit, & pluribus nervis hoc argumentum pertractat, fideliter citabo: *Cristus enim (inquit Joannes Calvinus) Sacerdos, & Pontifex a patre consecratus est, non ad tempus, quomodo illi in veteri testamento consueverunt leguntur, quorum cum vita motalis esset, Sacerdotium immortale esse non poterat. (Heb. 7. 9. & 10.)* Quare & successoribus opus erat, qui subinde in demortuorum locum subrogarentur. At Christo, qui immortalis est, vicarium substitui minime necesse est. Itaque a patre designatus est Sacerdos in aeternum,

num, secundum ordinem Melchisedech, ut aeternum permaneret Sacerdotio fungeretur. Et paucis interpositis subdit: Jam vero quotidie sacrificant, oblationibus Sacerdotes praeficiant necesse est, quos Christo velut successores & vicarios subrogent. Qua subrogatione, non modo Christum suo honore spoliari, & aeterni sacerdotii prerogativam illi rapiunt, sed & dextera patris deturbare ipsum conantur: in qua sedere immortalis non potest, quin simul aeternus Sacerdos maneat. Neque caustificentur, non sufficiens suos sacrificulos Christo quasi demortuo: sed suffraganeos dumtaxat esse aeterni ejus sacerdotii, quod propterea stare non desinit. Verbis enim Apostoli fortius constringuntur, quam ut sic elabi possint: nempe, alios plures esse factos Sacerdotes: quia morte impediuntur permanere. Christus ergo qui morte non impeditur, unus est, nec confortibus indiget. Haec tamen Calvinus. In verbis hujus argumenti aperte Calvini, prout alii haeretici sui confortes facere solent, nostram sententiam representat debilem & inermem, ut facilius possit populo rudi persuadere se de nobis triumphare. Nam ineptam quandam & nimis absurdam fingit nos dare suo argumento responsum, quam neque per somnium quidem cogitavimus. Nos enim fatemur Christum esse verum Sacerdotem aeternum secundum ordinem Melchisedech, prout pater celestis illum futurum juramento asseruerat. Sacerdotes autem Evangelicos non dicimus esse illius tamquam demortui successores, prout erant veteris legis Sacerdotes, quorum altero mortuo, alter loco illius subrogabatur. Neque dicimus Sacerdotes Evangelicos, ut Calvinus falso nobis tribuit, esse suffraganeos Christi aut illius confortes: sed esse illius ministros per quos ille suum Sacerdotium in aeternum exercet. Ille enim solus est verus & perfectus Sacerdos qui vere consecrat, offert, & reliqua omnia propria Sacerdotis officia vere peragit: nos autem solum sumus illius ministri, per quos ille operatur. Nam in Baptismi sacramento quoties illud Sacerdos aliquis administrat, offerit est qui vere & effectivè baptizat, prout Joannes Baptista testatus est, sic dicens: (Joan. 1.) *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ex istis enim Joannis verbis convincitur beatus Augustinus malitiam Sacerdotis, etiam si haereticus ille sit, non obitare quin verum baptismum conferat: quia Christus est qui baptizat, Sacerdos autem non baptizat animam, sed solum profert, verba, & corpus lavat exterius. Idem per omnia dicendum est de sacramento Eucharistiae, in cujus consecratione, licet Sacerdos accipiat panem, & benedicit, proferatque super eum verba consecrationis, non tamen ille convertit effectivè panem in corpus Christi: sed Christus ipse est qui illam substantiae commutationem facit: quia sicut ille est qui invisibiliter baptizat, ita ille est qui invisibiliter panem consecrat, & in suum corpus convertit. In cujus rei testimonium profero Eusebium Emisenum, qui sermone quinto de pascha, haec ait: *Nam invisibilis Sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate convertit.* Haec Eusebii Emisenus aperte mille & ducentos annos. In quibus verbis Christum appellat nomine invisibilis Sacerdotis, propterea quod ille nunc a populo non videtur, quum agit ea quae ad verum Sacerdotis officium spectant. Nec solum consecrat panem, & convertit illum in corpus suum Christus Deus noster, sed ipsum etiam corpus suum offert Deo patri incruenta oblatione, quoties Sacerdotes

Evangelici Missam perfecte celebrant. Sacerdotes quidem nomine totius Ecclesiae offerunt Deo patri corpus Christi, tamquam illius ministri; Christus autem est qui principaliter tunc per Sacerdotes & per Ecclesiam se Deo patri offert. Unde Haymo in commentariis super Paulum, interpretans illud ex epistola ad Hebraeos cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerenda munera constituitur*, haec ait: *Quia enim nulli sacrificium debetur, nisi soli vero Deo, Pontifex noster mundam hostiam pro nobis Deo patri obtulit, idem existens Sacerdos & sacrificium: offert etiam sacrificium Deo patri acceptum, per Ecclesiam suam.* Dum enim nos offerimus sacramenta corporis ejus, ipse offert. Haec Haymo. Et quia Christus quotidie per Sacerdotes Ecclesiae offert, ideo quotidie exercet suum sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, officium etiam sacerdotale quotidie exercet, dum quotidie pro nobis apud patrem orat tamquam advocatus noster: quia officium Sacerdotis est orare. Quum tamen sic orat, non in hoc se ostendit Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, magis quam secundum ordinem Aaron: quia hic ordo non distinguitur ab illo per preces & orationes, sed per hostias & victimas, & per modum offerendi illas. Est ergo Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, dum per Sacerdotes Ecclesiae ipse semetipsum quotidie offert Deo patri sub accidentibus panis. Hanc nostram & Catholicam doctrinam, si bene intellexerit Calvinus, non accusasset nos, dicens, quod spoliavimus Christum honore Sacerdotii aeterni. Nam cum dicimus Sacerdotes Evangelicos offerre Deo corpus & sanguinem Christi non excludimus ab hac obligatione ipsam Christum, neque alios Sacerdotes suffraganeos aut confortes illius facimus: sed tantum dicimus illos esse Christi veri Sacerdotis ministros, per quos verus ille & invisibilis Sacerdos quotidie operatur. Ex quibus omnibus aperte constat, nos gloriam & honorem Sacerdotis aeterni multo melius tribuere Christo, quam Calvinus: qui dum negat Missam esse sacrificium, negat eam oblationem offerri a Sacerdotibus Evangelicis, per quam solam Christus est Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Tertio nobis objiciunt haeretici, praesertim Joannes Calvinus, quod virtutem passionis & mortis Christi minuissemus, dum Missam dicimus esse sacrificium: quia hoc ipso, ut ille ait, fateri cogimur sacrificium mortis Christi non esse sufficiens ad remissionem peccatorum, cum opus sit illud toties in Missa iterari. Verba Calvini sunt haec: *Nam si Christi in cruce semetipsum in sacrificium obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, & aeternam redemptionem nobis quaereret, haud dubie vis atque efficacia ejus sacrificii nullo sine perisset. Alioquin nihilo honorificentius de Christo sentiremus, quam de bobus & vitulis qui sub lege immolabantur: quorum oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecillae, quod saepius iterabantur. Quare aut Christi sacrificio, quod in cruce implevit purgationis aeternae vim defuisse fatendum est: aut uno semel sacrificio, Christum in omnia saecula defunctum esse. Id est, quod dicit Apostolus summum hunc Pontificem Christum semel, per immolationem sui apparuisse, sub consummationem saeculi, ad peccati profigationem. Item, voluntate Dei nos sanctificatos esse, per oblationem corporis Jesu Christi, semel. Item, Christum una oblatione in perpetuum consummasse sanctificatos. Quibus insignem sententiam subnectit. Acquisita semel peccatorum remissione, nullam amplius restare oblationem. Hoc & postrema sua voce & inter ultimos spiritus aeterni, Christus*

quis significavit, qui dicit, *Consummatum est*: Solemus extremas morientium voces pro oraculis observare. Christus moriens testatur uno suo sacrificio perfectum esse & impletum quicquid in salutem nostram erat. Nos hujusmodi sacrificio, cujus perfectionem luculenter adeo commendavit, quasi imperfecto, innumera quotidie assuimus. Quando sacrosanctum Dei verbum non affirmat modo, sed clamat etiam & contestatur, hoc sacrificium semel peractum fuisse, ejus vim æternam permanere, qui aliud postulavit, nonne ipsum imperfectionis insimulat & infirmitatis? Hæc tenet Calvinus. In quibus verbis illis manifeste suam prædit ignorantiam. Nam aperte ostendit se nescire, quod verissimum esse sacra scripturæ auctoritate, & sanctorum patrum testimonio comprobavimus, Christum duas & valde diversas fecisse oblationes, alteram in cruce, alteram in cena: alteram in cruce, alteram in cruce. Una quidem & eadem fuit in ambabus oblationibus hostia, corpus videlicet suum, quod in utraque oblatione obtulit Deo, sed quia vis & diversis modis idem corpus suum Deo patri obtulit, ideo dicendum duas & diversas fecisse sui corporis oblationes. Nam in cruce obtulit corpus suum sauciatum, sanguine proprio aspersum, fuitque hostia illa cruenta, & sacrificium illud cruentum. In cena autem obtulit corpus suum, non sauciatum, nec sanguine proprio rubricatum, sed sanum & integrum, nulloque proprio cruore persusum sub accidentibus panis latitans. Et ideo sancti Doctores quos supra citavimus, corpus Christi hoc modo oblatum, vocant hostiam aut oblationem cruentam: & Concilium Ephesinum appellavit in cruce sacrificii servitatem: & sexta synodus in verbis supra citatis dixit in cruce sacrificium, ut hoc epitheto oblationem cenæ Dominicæ, & sacrificium in ea factum distinguere ab oblatione & sacrificio in cruce factis. Cum igitur istæ duæ oblationes sint adeo diversæ, consequens est ut diversas etiam sortiantur conditiones, diversaque merita. Per oblationem quæ facta est in cena, non fuit redemptum genus humanum: quia sine sanguinis effusione, ut ait Paulus (Heb. 9.) non fuit remissio. Per oblationem autem factam in cruce redempti sumus à servitute diaboli, à quo tenebatur captivi ad ipsius voluntatem. In sanguine enim testamenti sui, ut prædixerat Zacharias Propheta, cap. 9. *eduxit vincitōs qui erant in lacu*. Hæc oblatio facta in cruce non iteratur, nec repetitur unquam: quia Christus resurgens ex mortuis, ut ait Paulus (Rom. 6.) *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. De hac oblatione in cruce facta loquutus est Paulus in epistola ad Hebræos cap. 7. quum de Christo loquens, ait: *Qui non habent necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, Hoc enim fecit semel se offerendo*. Et in eadem epistola cap. 9. iterum ait: *Christus semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata*. Et rursum ibidem ait, cap. 10. *Una enim oblatio consummavit in sempiternum sanctificatos*. In his omnibus locis, & in aliis similibus Paulus, ut apertissime constat, loquitur de illa oblatione, quam Christus fecit in cruce, & non de illa quam fecit in ultima cena. Nam per solam illam quæ facta est in cruce, exhausti multorum peccata, & consummavit in sempiternum sanctificatos. Oblationem illam factam in cruce non fuit necesse repetere: quia illa semel facta fuit sufficiens ad multorum exhaurienda peccata. Hanc oblationem à Christo in cruce factam non iterant, neque repetunt Sacerdotes quum in Missa sacrificant, & Deo offerunt. Quia et si Missam celebrent in memoriam Dominicæ passionis, non

tamen fit ab eis in Missa talis corporis Christi oblatio, qualem ille fecit in cruce, sed qualem fecit in cena ultima, videlicet incruentam, & sine ulla sanguinis effusione, & sine morte hostiæ oblatæ. Ex his omnibus apertissime constat, Missæ sacrificium nihil profus derogare virtuti passionis Christi, neque minuire virtutem & efficaciam oblationis quam Christus fecit in cruce. Non enim ad hoc sacrificamus & offerimus in Missa corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ut per talem oblationem superpleamus defectum oblationis factæ à Christo in cruce. Absit. Nullum enim defectum, immo è contrario omnem superabundantiam habuit oblatio illa. Sicut Torcular calcavit solus, ita etiam solus sine alicujus adminiculo multorum exhausti peccata, & pro illis omnibus satisfecit. Missam celebramus, ut per Eucharistiam, sicut per alia sacramenta virtus & meritum passionis Christi applicetur Sacerdoti celebranti, & illis pro quibus celebrat. Corpus & sanguis Christi in Missa offertur Deo patri oblatione incruenta in satisfactionem pro peccatis nostris: & ideo oportuit talem oblationem in Missa fieri, quæ iterari posset: ut per illam possemus quotidie expiare peccata, quæ quotidie committimus, & quotidie iteramus. Et hæc doctrina non est nova, neque est nostra imagine conficta, prout est hæreticorum omnium doctrina: sed est vetustissima, à sacris & antiquis Ecclesiæ doctoribus accepta. Eusebius Emisenus in sermone quinto de paschate loquens de sacramento Eucharistiæ, hæc ait: *Et ideo quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, ut coheretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana & indefessa curabat pro hominum salute redemptio, perpetua, etiam esset redemptionis oblatio: & perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Vere unica & perfecta hostia fide æstima, manda non specie, neque exteriori censa vultu, sed interiori affectu.* Hæc Eusebius Emisenus, qui ante mille & ducentos annos floruit. In quibus verbis id annotare oportet, quod cum dixisset, Christum semel fuisse oblatum in pretium, postea dixit, perpetuam esse redemptionis oblationem. Oblatio in pretium fuit una & cruenta in ara crucis facta: oblatio autem redemptionis perpetua, est incruenta, & est illa quæ quotidie fit in Missa: quia ad illam exercendam dixit Eusebius Emisenus instituisse Christum sacramentum corporis & sanguinis sui. Joannes Chrysostomus Eusebio Synchronus, aut paulo posterior illo, homilia super epistolam ad Hebræos eandem sententiam docet, sic inquit: *Et quia semel oblata est illa hostia, oblata est in sancta sanctorum*. Hoc autem sacrificium exemplar est illius; id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastinum alium, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium. Hæc Chrysostomus. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod dicit idem esse nostrum sacrificium, & Christi: quia nos offerimus idipsum quod Christus obtulit, quamvis non eodem modo offerimus. Post istos duos clarissimos viros hanc eandem sententiam multo apertius & uberius docuit Haymo in commentariis super Paulum, qui interpretans illud Pauli ex epistola ad Hebræos, alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores illius semel mundati, hæc ait: *Alioquin, hoc est, si ab omnibus essent liberati peccatis, cessassent offerri hostiæ, eo quod*

quod nullam haberent ultra conscientiam, id est, memoriam & recordationem peccatorum: in quibus cultores illius semel mundati essent. Sed quia hoc non potuit fieri, & nunquam potuerunt majora & criminalia peccata illis sacrificiis mundari: fit per singulos annos commemoratio peccatorum in ipsis hostiis. Verbi gratia: Si obtulisset quis præsentem hostiam pro peccato adulterii, aut sacrilegii, aut patridii, necesse erat ut omnibus annis id ageret: quoniam non poterat perfecte expiari ab illo piaculo. Proinde accusatio peccatorum fuit, quod sebat, non solutio: accusatio infirmitatis, non virtutis offensio. In eo enim quod semper offerebantur, redargitio peccatorum erat: in eo autem quod semper necessaria, redargitio infirmitatis ejusdem sacrificii. Propter hoc, inquit, imperavit semper offerri propter infirmitatem, quia non poterat perfecte mundari, & ut memoria & redargitio peccatorum fieret. Quid ergo dicendum? Numquid & Sacerdotes nostri, quotidie idem non agunt dum offerunt assidue sacrificium? offerunt quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus. Et quia nos quotidie peccamus, quotidie indigemus mundari. Et quia ille non potest jam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis & sanguinis sui, ut sicut passio illius redemptio & ablutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio & redemptio & mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus, bonamque intentionem habentibus. In hoc enim differat ab illo veteri sacrificio sæpius repetito, istud nostrum quod similiter repetitur: quia istud est veritas, illud figura: istud perfectum reddit hominem, illud minime: & istud non causa infirmitatis suæ reperitur, quia non possit perfectam conferre salutem: sed in commemorationem passionis Christi, sicut ipse dixit: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*: & una est hæc hostia non multa, sicut illa erant. Quomodo una est, & non multæ, cum & à multis & diversis in locis diversisque temporibus offeratur? Attentissime ergo animadvertendum est, quia divinitus verbi Dei quæ una est, & omnia replet, & tota ubique est, ipsa facit, ut non sint plura sacrificia sed unum sacrificium, licet à multis offeratur, ut sit unum corpus Christi cum illo, quod suscepit in utero virginali, non multa corpora. Nec nunc quidem aliud magnum, aliud minus, aliud hodie, aliud cras offerimus: sed semper idipsum æquam magnitudinem habens. Proinde unum est hoc sacrificium Christi, non diversa, sicut illorum erant. Nam si aliter esset, quoniam in multis locis offeruntur, multi essent Christi: unus ergo Christus ubique est: & hic plenus existens, & illic plenus unum corpus ubique habens. Et sicut qui ubique offertur, unum corpus est, non multa corpora: ita etiam unum sacrificium. Hæc tenet Haymo, qui ante septingentos annos floruit. In quibus verbis idem contra se fecit argumentum, quo nos Lutherani omnes nunc oppugnant, & illi optime per omnia occurrit. Ex quibus omnibus convincitur superbia Calvinii, qui agnoscens & fatens doctrinam de sacrificio Missæ alias habere radices in Ecclesia, jactavit se suis istis argumentis veluti quadam validissima securi illas omnes posse scindere & evertere: nos enim Deo adjuvante aperte ostendimus tantam esse suorum argumentorum infirmitatem & debilitatem, ut tamquam butyrea securis videantur.

Quarto, argumentatur Lutherus ut prober Missam non esse sacrificium, sic dicens: Eucharistia est testamentum Christi: ergo illa non est oblatio à Sacerdotibus facta. Assumptum probat testimonio Lucæ Evangelistæ, qui refert Christum in ultima cena Eucharistiam appellasse testamentum. *Et accepto pane*, inquit Lucas cap. 22. *gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam canavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*. Similia verba scribit Paulus ad Corinthios 1. 11. Consequenter suæ argumentationis probat Lutherus per hoc, quod pugnant, ut ille ait, hæc duo, testamentum & sacrificium aut oblatio. Quia testamentum, ut Lutherus dicit, est promissio testatoris: sacrificium vero offertur altari. Pugnant autem, ut ille ait, permittere & offerri. Ecce principale fundamentum, super quod suam perfidissimam doctrinam edificare nititur Lutherus: & ideo summe laborat, ut delectat quomodo Eucharistia sit testamentum: & primo assignat diffinitionem testamenti, non ab Ulpiano aut alio quovis laudato Jurisconsulto petitam, sed ex suo cerebro confictam. *Hic est corpus meum*, inquit Lutherus, est dispositio morturi, qua nuncupat suam hereditatem hæredibus, id est, explicatio voluntatis extremæ alicujus morturi confirmata per mortem testatoris. Involvit itaque testamentum primo mortem testatoris: secundo hereditatis promissionem & hæredis nuncupationem. Mortem suam Christum testari ait Lutherus, quum ille dicit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*. Et iterum: *Hic sanguis, qui pro vobis funditur*. Hereditatem autem dicit Lutherus Christum declarasse, quam ille dixit, in remissionem peccatorum. Nam remissionem peccatorum, dicit Lutherus esse hereditatem in Eucharistiæ testamento promissam. Hæredes vero Christum instituisse ait: Quum Christus dixit, *pro vobis & pro multis*, id est, pro iis qui credunt promissioni: Fidem enim dicit Lutherus, nos hic facere hæredes. Dicit ergo ille missam esse promissionem remissionis peccatorum à Christo factam, & per mortem suam confirmatam. Nam promissionem & testamentum, per hoc solum differre ait, quod testamentum simul involvit mortem testatoris, promissio autem non. Et inde consequenter deducit, quod si Missa sit testamentum & promissio Christi, non possit esse sacrificium. Ecce totam Lutheri machinam, & tormentum bellicum, quo ille concutere & vertere nititur doctrinam Ecclesiæ Catholicæ dicentis Missam esse sacrificium. Hanc ille multis verbis prolixissime tractat, sed ego paucioribus perstringere decrevi, ne nimia prolixitate rædio afficerem læctorem. Ut autem fidelis essem in recitatione suæ argumentationis, nihil quod ad rem pertineret, & illam quovis modo juvare posset, omittere volui. Sed si bene advertere voluerint lectores, & bono animo esse, nihil illos hæc machina terere poterit: quoniam facile intelligunt, totam illam machinam nihil profus ex se jactare, nisi vacuum & penitus inane tonitruum. Nam illa sua argumentatione ad compendium redacta salum assumit, & pessime colligit. Falsum est enim quod Missa sit testamentum, juxta veram & legitimam testamenti diffinitionem, quam reddere solent Jurisperiti, à quibus potissimum illam petere oportet: neque juxta illam quam ipse Lutherus reddit, dicens testamentum esse promissionem morte confirmatam, qua testator nuncupat hereditatem suam certis hæredibus. Eucharistia enim non est promissio, sed est donum quod Christus dedit proximo morti. Quod autem testator ante mortem suam

suam donat, non est testamentum, neque etiam hæreditas ex testamento proveniens. Quod etiam donatur, non comprehenditur sub nomine promissionis, quia adveniente donatione, perit ius promissionis. Hæretici vero hoc argumentum vitare volentes dicunt, ideo Eucharistiam dici promissionem, quia promittitur in ea remissionem peccatorum, & ad hoc solum dari contendunt, ut per eam habeamus remissionem peccatorum, quam dicunt esse hæreditatem promissam. Sed re vera toto errant celo. Quia Christus non promisit in cena hæreditatem remissionem peccatorum, prout Osander & Butzerus in defensionem sui Lutheri docent: sed solum prænuuntiat id quod postea faciendum erat, videlicet sanguinis effusionem in remissionem peccatorum. Sed licet demus Lutherum, Christum per illa verba non solum prædixisse, sed etiam promississe remissionem peccatorum, numquam tamen inde colligere poterit, Eucharistiam esse datam in remissionem peccatorum. Quia Christus per illa verba non promissit remissionem peccatorum sumentibus Eucharistiam: sed promissit se effusurum sanguinem in remissionem peccatorum, nulla profus de sumentibus Eucharistiam facta mentione. *Hic calix*, inquit Christus, *Luc. 21. novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod non dixit sanguinem sumentibus in remissionem peccatorum, sed fundendum. Præterea, si Lutherus loquitur de testamento, ut credi par est, more Theologorum, & non juris humani peritorum, favebor testamentum esse promissionem & pactum & fœdus, ut Innocentius tertius docet in cap. Cum Marthe, de celebratione Missarum, motus testimonio Pauli (*Heb. 9.*) dicens: *Ideo novi testamenti mediator est, ut reprobationem accipiant, qui vocati sunt, hereditatis æternæ.* Sed licet promissio more Theologico dicatur testamentum, non tamen oportet ut talis promissio sit aliquid morituri: quia tunc lex vetus per Moysen data non posset dici testamentum. Non enim erat illa promissio morituri: quia quamdiu lex illa duravit, testamentum illud valuit, non subito mortem Deus, qui testamentum illud considerat. Neque testamentum illud fuit more confirmatum, immo potius e contrario, morte Christi revocatum, & loco illius testamentum novum subrogatum & confirmatum. Et ob hanc causam lex Evangelica dicitur testamentum æternum: quia Christus numquam amplius morietur, ut morte sua aliud possit confirmare testamentum. Si vero Lutherus utitur voce testamenti more jurisperitorum, pessime diffinit testamentum: quoniam nullus Jurisperitus unquam dixit testamentum esse promissionem. Nam Ulpianus in l. j. ff. de testam. diffiniens testamentum, hæc ait: *testamentum est nostræ voluntatis iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri voluit.* Cui diffinitioni Accursius illius glossator dicit esse necessarium addendum, *Cum hæredis institutione: quia sine hæredis institutione, ut ille ait, non est validum testamentum.* Et hanc testamenti diffinitionem amplectuntur omnes Jurisperiti. Juxta hanc diffinitionem lex vetus quodammodo potest dici testamentum: quia fuit iusta sententia Dei, & iusta illius voluntas de eo quod fieri voluit. Sed quia illud non fuit more confirmatum, ideo non proprie & perfecte dici potuit testamentum, sed solum metaphorice & figurative: quia fuit quodammodo confirmatum per mortem & sanguinem vituli, qui mortem Christi figurabat. Nam illud dicit Paulus (*Heb. 9.*) non fuisse sine sanguine dedicatum. Lex Evangelica magis proprie dicitur testamen-

um, non solum more Theologico, sed etiam iuridico, prout Paulus ad Hebræos scribens, (*Ibid.*) docet. Nam est morte Christi confirmata, & est voluntas Christi iusta sententia, de eo quod post mortem suam fieri voluit, & in ea reliquit nobis sacramenta pro vita presenti, & æternam beatitudinem pro vita futura. Missa tamen aut Eucharistia nulla ratione potest dici testamentum: quia fere nihil quod ad rationem testamenti pertinet, illi convenire potest.

Primo quidem Missa aut Eucharistia non est sententia voluntatis Christi, aut iudicium voluntatis illius, qua declaraverit quid de bonis suis post mortem suam esset faciendum. Præterea, deest testator in tali testamento: quia Christus non potest dici testator illius. Nam ut ait Paulus, *ubi testamentum est, necesse est ut mors intercedat testatoris.* Si igitur Missa esset testamentum, oporteret Christum toties mori, quoties Missa celebratur, alioquin non erit firmum testamentum. Rursum, si Missa aut Eucharistia esset testamentum, oportet illud coram testibus esse declaratum, ut sit firmum & validum. Da ergo Lutherus testes coram quibus fuit factum. Si dicas fuisse Apostolos, quia illi soli fuerunt præsentibus, quando Christus consecravit panem & vinum, & primam Missam celebravit, convincitur illos non potuisse esse testes talis testamenti: quia illi juxta tuam doctrinam fuerunt tunc instituti in eodem testamento hæredes. Nam jure optimo prohibetur, ut qui in testamento scriptus est testes, non possit ejusdem testamenti esse testis, ut dicitur in l. Omnibus. C. de testamentis. Attendite obsecro quale nobis vult tradere Lutherus testamentum, cujus nullus potest dari testator, & in quo ipsimet hæredes sunt testes. Deinde, nulla est hæreditas mandata hæredibus in hoc testamento, quod dicunt esse Missam. Nam quod Lutherus dicit, remissionem peccatorum esse hæreditatem in illo testamento promissam, falsissimum est. Quia talis remissio peccatorum non potest dici hæreditas, propterea quod Paulus dicit (*Rom. 9.*) justos esse hæredes Dei, cohæredes autem Christi, hoc est ejusdem hæreditatis participes, cujus & Christus. At Christus non est vocatus ad remissionem peccatorum: quia peccatum nullum habuit, quod posset illi remitti. Remissio ergo peccatorum non est hæreditas: quia non alterius hæreditatis dicit Paulus justos esse hæredes, nisi illius cujus est Christus. Fateor quidem remissionem peccatorum esse viam certam ad assequendam veram hæreditatem: quia per talem remissionem efficimur filii Dei adoptivi, & inde constituimur hæredes Dei, cohæredes autem Christi. At quod talis remissio sit hæreditas, numquam in sacris litteris proditum est. Et ideo non possum non mirari quomodo Lutherus audeat illam appellare hæreditatem, cum ille alias sæpe contendat nihil circa fidei dogmata esse asserendum, quod in sacris litteris non invenitur. Invenio vitam æternam appellatam esse hæreditatem à beato Petro, qui de Christo Salvatore nostro, hæc ait: (*1. Petr. 3.*) *De glutiens mortem, ut nos vitam æternam hæredes efficiat.* Remissio peccatorum neque apud sacras litteras, neque apud sacros Doctores reperitur fuisse unquam appellata hæreditas. Præterea, & si gratis velimus dare Lutherum, quod remissio peccatorum sit hæreditas, non tamen tota & integra hæreditas, quia est alia multo major, videlicet vita æterna: de qua cum nullam, in verbis consecrationis panis aut vini, fecerit Christus mentionem, convincitur inde Missam non posse esse testamentum: quia in ea non fuit declarata voluntas de distributione totius hæreditatis. Non enim potest aliquis pro una parte testatus decedere, & pro alia intestatus, ut di-

dicitur instituta, de hæredibus instit. §. Non autem: & in regula, Jus nostrum ff. De regulis juris. Quamvis ex his omnibus aperte convincerem Missam, aut Eucharistiam non posse dici testamentum, oportet tamen respondere Lutherum, qui objicit nobis verbum Christi apud Lucam, (*cap. 22.*) dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Hæc objectioni respondunt quidam ex nostris dicentes quod verba illa solum dicta sunt de sanguine, & non de corpore Christi, ac proinde dicunt nihil per verba illa probari: quia in Missa non solum continetur sanguinis, sed etiam corporis Christi consecratio. Ego autem aliter, & multo melius respondendum esse censeo. Dico enim verba illa Christi apud Lucam esse eodem modo intelligenda, quo intelliguntur verba Matthæi, (*cap. 26.*) & Marci, (*cap. 14.*) qui referunt Christum dixisse: *Hic est calix sanguinis mei novi testamenti.* Non sunt enim sibi contrarii Evangelistæ, sed eundem sensum habent: quavis verbis dissimilibus explicatur. Verba Matthæi, & Marci declarant quomodo sint intelligenda illa, quæ Lucas hoc loco refert. Dicitur autem calix novi testamenti in sanguine Christi: quia novum testamentum fuit sanguine Christi confirmatum. Hoc modo interpretatur verba illa in Commentariis super Lucam, sic inquires. *Quod autem dicit: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, ad distinctionem veteris testamenti respicit, quod hircorum & vitulorum est sanguine dedicatum, dicente inter aspergendum legislatore. (Ex. 24.) Hic est sanguis testamenti, quod manducavit ad vos Deus.* Hæc Beda, qui aperte docet, calicem sanguinis dici testamentum, quia per illum fuit confirmatum novum testamentum, sicut verus per sanguinem vitulorum. Huic consentit Haymo in Commentariis super Paulum: ubi interpretans illud ex epistola ad Hebræos: (*cap. 9.*) *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus,* hæc ait: *Ac si diceret: Hæc est confirmatio hujus testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Ite sanguis figurabat illum sanguinem, qui de latere Christi in cruce manabit. Hoc sanguine Christus nos aspergit, & testamentum suum confirmavit, sicut ipse dixit: Hic est sanguis novi testamenti in remissionem peccatorum.* Hæc Haymo. Eodem modo verba illa Christi interpretatur Innocentius Papa hujus nominis tertius in cap. Cum Marthe, De celebratione Missarum, ubi hæc ait. *Sic ergo intelligi debet, quod in ipso canone reperitur, Hic est enim sanguis mei novi, & æterni testamenti, id est, novæ ac æternæ promissionis confirmator, sicut Dominus reprobitt, qui manducat (inquit Joann. 6.) carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam.* Hæc Innocentius, vir præter Pontificalem dignitatem doctissimus. Nec miretur aliquis, quod verba illa Christi, sic intelligenda hujus dicamus: quia ex aliis locis constat sacras scripturas uti hoc genere locutionis. Nam in Exodo (*cap. 24.*) legitur, quod Moyses assumptum sanguinem vituli respersit in populum, & dixit: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Sanguinem fœderis dixit, quia illo sanguine confirmavit Dominus fœdus, quod pepigit cum filiis Israel. Ne autem quis dubitare possit, hunc esse illorum verborum sensum, Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos (*cap. 9.*) dignatus est verba illa interpretari, sic dicens: *Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Læcto enim omni mandato legis à Moysè uni-*

verso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque vitulum, & omnem populum aspergit, dicens: (*Exod. 24.*) *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Ex quibus omnibus Pauli verbis constat illum interpretari, ideo sanguinem vitulorum dictum esse à Moysè sanguinem testamenti, quia illo sanguine fuit testamentum illud confirmatum. Nam ad hunc finem illa verba Exodi citavit, ut per illa probaret primum testamentum fuisse sanguine confirmatum. Verba illa quæ Moyses dixit, constat esse simillima illis quæ Christus dixit, & ideo consequens est, ut utraque sint eodem modo intelligenda. Unde Anselmus in Commentariis super Paulum prædicta verba ex epistola ad Hebræos interpretans, hæc ait: *Sic & Christus novam legem, & universum mundum sanguine suo mox asperiturus, dixit in cena discipulis suis. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Ecce quam concorditer utrumque libri testamentum consonat. Ecce quam proprie prædicit Moyses verba, quibus salvator utetur in cena. Hæc Anselmus. Constat jam quomodo intelligenda sint verba Christi apud Lucam: & ex omnibus prædictis constat etiam, Missam aut Eucharistiam non esse testamentum, juxta veram testamenti rationem. Si tamen uti volumus hac voce testamentum, figurata quadam locutione possumus dicere per quendam tropum, sacratissimam Eucharistiam esse testamentum: quia est donum, quod Christus nobis in pignus sui erga nos amoris in suo testamento reliquit. Sic enim pacem solemus dicere Christi testamentum: quia illam Christus morti propinquus, nobis in testamento comendavit. Hæc figurata locutione usus est Marthias, quum loquens ad filios suos, dixit (*1. Marc. 2.*) *Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.* In quibus verbis Sacerdotium appellavit testamentum, quia fuerat à Deo in testamento mandatum ipsi Phinees propter zelum, quem habuit ad observationem legis divinæ. Qui locutionis modus videtur mihi habere illam figuram, qua usus est Christus, dicens: *Calicem meum bibetis.* In quibus verbis calicis nomine usus est, ad significandum id quod continetur in calice. Hæc eadem figura utentes possumus dicere Missam, aut Eucharistiam esse testamentum: quia est una ex potissimis rebus in testamento Christi contentis. Juxta hunc sensum intelligendus est Nicolaus Lyranus, qui super Psalmum centesimumdecimum, Missam vocat testamentum. Sed ex hac figurata testamenti appellatione, non licet inferre, quod Missa non sit sacrificium. Quia licet talis consequentia esset bona, accipiendo vocem testamenti juxta propriam, & veram illius significationem, non tamen est bona utendo illa voce, juxta figuratam illius significationem. Non enim idem colligitur ex figurativa, aut metaphorica denominatione, quod colligi potest, ex vera & propria appellatione ejusdem rei. Verbi gratia. Ex hoc quod aliqua res est vere, & realiter vitis, optime colligitur quod illa non intelligit, non videt, non audit, non dolet, non denique sentit: quia nihil horum convenire potest ligno inanimato. At ex hoc quod res aliqua dicitur vitis per similitudinem, non licet colligere aliquid illorum: quia Christus intelligit & sentit: cum tamen dicatur vitis per similitudinem, & non per proprietatem. Idem profus dicendum est de testamento, & sacrificio. Si voce testamenti utaris, juxta veram & propriam illius significationem, licebit colligere aliquid non esse sacrificium, ex hoc, quod est testamentum: sed juxta*

hanc significationem, nego Missam esse testamentum. Si tamen figurative, & per synecdochen loquentes, dicitur Missam esse testamentum, ex hac testamenti appellatione non licet colligere, quod Missa non sit sacrificium verum: quia utrumque illorum est, & testamentum, & sacrificium, diversis tamen respectibus, & considerationibus. Dicitur testamentum, quia est in testamento Christi contenta, & in illo nobis mandata. Dicitur sacrificium, quia in illa offertur Deo patri corpus, & sanguis Christi filii sui. Tam prolixè tractare volui hoc argumentum: quia Lutherus jactat se per illud triumphare de Catholicis, & canit triumphum ante victoriam. Necessarium igitur fuit, omnes hujus argumenti vires tentare, ut palam omnibus facerem, illud esse infirmum, & profusum invalidum.

Quinto argumentantur Lutherus ex ratione doni, sic dicens: Eucharistia est donum Dei, quia Christus dixit: *Accipite & comedite ex eo omnes*: ergo non potest esse oblatio nostra. Pugnans enim, ut ille ait, inter se donum, & oblatio: quia non potest quis recte alteri offerre, quod ab illo accepit. Huic argumento respondet concedens, Eucharistiam esse donum Dei, & quidem magnum: quoniam pro illud nobis, & corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini dedit: non tamen sequitur inde, quod non possimus donum illud offerre Deo. Nam hac ratione oporteret dicere, nihil nos posse Deo offerre, quia nihil habemus, quod non sit ab illo nobis donatum. Sacrificia veteris legis, quæ ex pecoribus, & avibus Deo offerebantur, verissima erant sacrificia, tamen aves illæ, & pecora illa quæ Deo offerebantur, dona Dei erant, ipsæ motu Deo attestante, qui per Prophetam (*Psal. 49.*) ait: *Mæ sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus, & boves.* Sacrificia etiam spiritualia, qualia sunt laus Dei, cor contritum, & humilitatum, quæ omnia Lutherus ipse fatetur esse vera sacrificia, omnia sunt dona Dei. *Quid habes* (inquit Paulus (*1. Cor. 4.*)) *quod non accepisti?* Huic nostræ sententiæ favet Augustinus, qui libro primo de Civitate Dei, cap. 4. hæc ait: *Cum ad illum sursum est, ejus est altare, cor nostrum, ejus unigenitum cum Sacerdote placamur: ei cruentas victimas cedimus; quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus; ei suavissimum adolemus incensum: quum in ejus conspectu pio sanc- toque amore flagramus, ei dona ejus in nobis nosque ipsos vovemus & reddimus.* Hæc Augustinus. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod dixit, nos in nobis ipsi dona Dei offerre Deo. Non ergo pugnant, juxta Augustini sententiam, esse donum & oblationem. Melius quidem quam Lutherus intellexerat hoc David Rex, qui videns promptissimam populi oblationem, & frequentia dona, quæ populus ad futuram temporis constructionem offerebat, gratiasque Deo reddens de tam larga oblationum multitudine, inter cætera hoc dixit: (*1. Par. 29.*) *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Ad eundem modum facit Ecclesia Catholica, quæ sacrificans, & sacratissimam Eucharistiam Deo offerens, ait: Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta Christi filii tui Domini Dei nostri, tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in Cælos gloriose ascensionis, offerimus præclara magnificentiæ tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* In quibus verbis Ecclesia satis aperte, & humiliter fatetur, hostiam quam Deo of-

ferre esse donum Dei ab eo illi donatum. Et inde aperte convincitur, Lutherum male calumniari Ecclesiam, falsumque illi imponere crimen, dum dicit, illam existimare se offerre aliquid de suo, ac si Ecclesia putaret oblationem illam esse proprie opus nostrum, & meritum nostrum, quo mereretur nobis, & aliis, & quod illam offeramus, tamquam si daremus Deo aliquid absolute nostrum. Nihil horum putare Ecclesiam apertissime constat ex verbis canonis Missæ, quæ nunc proxime citavimus, in quibus manifestissime fatetur, se non ex suo, sed ex dono Dei talem offerre hostiam. Constat itaque ex his omnibus non esse rationi naturali contrarium, ut aliquid sit donum, & oblatio. Prius quidem donum, & postea oblatio. Per donationem fit nostrum, quod antea non erat nostrum. Postquam semel donatum est, si is qui illud accepit, offerre voluerit, tunc non ex alieno, sed ex eo quod per donationem factum est suum, offeret. *Filius Dei* (inquit Blasius (*cap. 9.*)) *datus est nobis: & ideo merito nostri dici potest.* Neque solum filium dedit nobis pater, sed omnia etiam, quæ filii sunt propria, videlicet corpus, sanguinem, famem, sitim, lacrymas, labores, mortem denique illius. *Qui proprio filio suo* (inquit Paulus (*Rom. 8.*)) *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Cum igitur filius Dei, & omnia illius merita sint nobis donata, merito possimus illum, & omnia bona illius, veluti jam nostra, Deo offerre. Nam passionem & mortem Christi offerebat Deo in satisfactionem pro suis debitis, qui dicebat: (*Psal. 115.*) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Agnoscebat se multa bona accepisse, & volens pro tantis donis aliquid Deo tribuere, nihil apud se invenit, quod Deo reddere posset: & ideo calicem salutaris, hoc est passionem Christi, qui est salutaris nostrum, accipere statuit, ut illud Deo offerat in tantorum debitorum compensationem. *Idem enim est, qui dicitur: Quis dedit mihi calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Agnoscebat se multa bona accepisse, & volens pro tantis donis aliquid Deo tribuere, nihil apud se invenit, quod Deo reddere posset: & ideo calicem salutaris, hoc est passionem Christi, qui est salutaris nostrum, accipere statuit, ut illud Deo offerat in tantorum debitorum compensationem.

Sexto, argumentatur Lutherus, sic dicens: Idem simul recipi, & offerri non potest, neque ab eodem simul dari & accipi: ergo Sacerdos non potest dici quod offerat Eucharistiam, quam ipse totam sumit. Est enim natura sacrificii, ut totum Deo offeratur, & nihil hominibus relinquatur. Cur ergo Sacerdotes totum panem comedunt, & totum vinum bibunt, nihil relinquentes Deo? Hoc enim potius est auferre Deo, & nobis dare, quam offerre Deo: est ergo repugnantia inter Missam, & sacrificium, quia sacrificium offertur, Missa sumitur. Hæc est Lutheri argumentatio eisdem fere verbis narrata, quibus ab illo descripta est. Non possum non mirari, quod sophistate tam nugaci, & tam aperto Lutherus in retam feriat se firmet, cum ipse alias non semel, aut iterum omnes argumentationes, & dialecticas rationationes, à rebus sacris abigat, insimuletque recentes Theologos, quod eas sacræ Theologiæ mutuerint. Quamobrem optime possum nunc dicere illud Poetæ: *Non est, qui non sit, nisi quæ non sit. Non est, qui non sit, nisi quæ non sit.* Sed hæc missa faciamus, & reddeamus ad argumenti responsum, & ostendamus intolerabilem Lutheri impudentiam, qui non veretur apertissima mendacia, & sacræ scripturæ palam contraria assumere in suo argumento, ad suæ petitiæ hæresis probationem. Falsum est enim quod ait, naturam sacrificii esse, ut totum Deo offeratur, & nihil hominibus relinquatur. Nam plurima sacrificia legis Mosaicæ sumebant Sacerdotes, qui offerebant ea. Numquid edebat Deus omnia quæ illi offer-

rebantur? Audi ipsam Deum reprehendentem futuram Lutheri demeritiam. (*Psal. 49.*) *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregebus tuis hircos, quoniam mæ sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si eferius non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Si Deus non comedeat carnes, quæ tunc illi offerebantur, numquid peribant illæ? Non certe: sed multæ ex Domini præcepto manebant penes Sacerdotes. Fateor fuisse aliquod sacrificium, quod dicebatur holocaustum: quia totum comburebatur igne: & ideo nihil ex eo manebat, quod posset à Sacerdotibus comedì. Hoc tamen non erat ex natura sacrificii, sed ex peculiari modo offerendi illud: quia alias oporteret omnia sacrificia esse ejusdem conditionis, si hoc contingebat in holocausto esse ipsa sacrificii natura, ut nihil maneret ex eo penes offerentes. Constat autem multa fuisse in illa lege sacrificia, quorum vel partem aliquam Sacerdotes ex præcepto legis comedere tenebantur, prout manifeste constat ex capite secundo, & quinto, & septimo Levitici.

Hæc sunt potissima argumenta, quibus hæretici conantur fure Missam non esse sacrificium. Alia adhuc facit Lutherus, alia etiam Joannes Calvinus: sed quia debilissima sunt, causa prolixitate vitandæ præterii. Indigna quidem mihi visa sunt, ut pro illorum responso chartas implem, aut minimum tempus consumerem. Contra hæc hæresim scripserunt multi, videlicet Jodocus Clithoveus in suo Antiluthero parte tertia, Gaspar Sagerus Minorita, Albertus Pighius in libro controversiarum Ratisbonæ habitarum controversia quinta. Joannes Ecchius librum integrum de sacrificio Missæ composuit, in quo prolixè satis rem istam pertractat. Post istos omnes scripsit Joannes Hoffmeyer Augustinianus, qui etiam defendit Canonem Missæ, quem Lutherus non est verius calumniari, & mille convitiis afficeret.

Tertia hæresis est, quæ ait Missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodere vivis, aut defunctis, sed soli Sacerdoti. Hujus erroris auctor est etiam Lutherus, dicens impium esse, si Missa canatur pro peccatis. Ecce quibus gradibus progreditur diabolus, ut homines ad tartara ducat. Primum ad peccatum allicit & impellit, deinde à remedio avocat, ne peccatorum cicatricibus subveniatur. Sed claudamus aures ad vocem, aut sibilum serpentis venenosum, & audiamus Paulum dicentem: (*Heb. 5.*) *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus conficitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* At quomodo Evangelicum Sacerdotium (ut in præfata hæresi ostendimus) nullam aliud habet sacrificium, quam Eucharistiam, convincitur inde, ut illam Sacerdos offerre possit pro peccatis, non tantum suis, sed etiam pro peccatis populi. Nam post illa verba adducta, Paulus de eodem Sacerdote sermonem faciens, subjungit. *Qui non daret possit his qui ignorant, & errant quoniam & si ipsi incognitum est, in firmitate, & proprietate debet quemadmodum pro populo, & ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Ecce qualiter Pauli testimonio omnis Sacerdos offert sacrificia non solum pro suis, sed etiam pro populi peccatis. Et cum Sacerdotium Evangelicum nullum aliud habeat, quod possit offerre sacrificium, sequitur quod illud potest offerre Sacerdos pro peccatis populi & suis. Præterea hoc ipsum confir-

mat in veritate Ecclesia consuetudo, quæ non ex permissione Ecclesiæ tolerata est, sed ex præcepto, & decreto ejusdem hucusque servatur. Nam juxta illum celebrandum, quem Catholica Ecclesia observandum tradidit, Sacerdos ante Eucharistiæ consecrationem sub silentio orat pro vivis, ut illis proficiat ad salutem animæ, & corporis illa sacrorum mysterium oratio. Post consecrationem vero Sacerdos duplex Deum orat pro defunctis, ut per virtutem illius sacratissimæ oblationis Deus dignetur illis defunctis indulgere locum refrigerii, lucis & pacis. Et hæc consuetudo quam hodie Ecclesia tenet, non est recens, ut hac occasione eam contemnere audeat Lutherus. Nam beatus Chrysostomus homilia sexagesimana, Bernardo Brixiano interprete, testatur eam consuetudinem emanasse ab Apostolis. Sic enim ait: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum posse contingere lucrum, & utilitatem multam. Quum enim totus confiteretur populus extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Hæc ille.

Sed multo sunt manifestiora, quæ idem Chrysostomus in ritu Missæ ab eo edito, quem nuper in Latinam linguam vertit, Gentianus Hervetus. Nam circa initium ejusdem ritus, hæc ait: *Sciendum est quod si sunt plurimi Sacerdotes, qui sacrum ministerium obeunt, Sacerdos qui fecit oblationem, ipse etiam sacrum ministerium incipit. Ipse etiam dicit exclamationes. Diaconus alta voce. In pace, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro pace totius mundi, tranquillitate sanctarum Dei Ecclesiarum, & omnium unione, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro hac sancta domo, & iis qui cum fidei religione, & Dei timore ipsam ingrediuntur, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro Archiepiscopo nostro, venerabilis Presbytero, in Christo Diaconatu, universo Clero & populo, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro religiosissimis, & à Deo custoditis nostris Imperatoribus, toto palatio, & eorum castris, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Ut una bellum gerant, & omnem inimicum, & adversarium suis pedibus subjiciant, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro hac sancta civitate, regione, & iis qui fide in ea habitant, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro bona aeris temperie, fructuum terræ fertilitate, & pacificis temporibus, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro navigantibus, iter facientibus, agrotantibus, captivis, & ipsorum salute, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Ut nos liberemur ab omni afflictione, ira, periculo, & necessitate, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Ecce Chrysostomum docentem Missæ sacrificium offerri, non solum pro ipso Sacerdote, sed etiam pro omnibus aliis etiam laicis, presentibus & absentibus: nec solum pro rebus spiritualibus, sed etiam corporalibus. Quod autem possit pro mortuis offerri, & illis proficere, ostendit idem Chrysostomus in principio ejusdem tractatus, ubi docet pro quibus Sacerdos offerre debeat, sic inquit:*